


Franz Albert Aepinus

Programma Rectoris Academiæ Rostochianæ, Franc. Alb. Æpini ... Qvo Matronæ ... Annæ Margarethæ Willebrandiæ, Viduæ ... Domini Joh. Barnstorffii, Jur. Utr. Doct. ... beatum obitum indicit, Ejusdemque memoriam pie custodiendam Civibus Academicis ... commendant

Rostochii: Typis Io. Iac. Adleri, [1724?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1799541975>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Privatrecht-Programme,
meist Forderungen in dazujen bürgerl. Familien betr.

(Zinsverträge in nobilitierten Familien:


Nettelblatt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann
i. d. R.)

82 Stücke

Mk1b Gen - 40
2/3 II

9/1
Hain.
1833.





1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30


Leichenprogramme, alphabetisch geordnet
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Elsabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Pansen. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Pohn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoepffer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mathews. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Jöppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.
72. Weiß, Gottfried. 1697.
73. Wetken, Johann Georg. 1716.
74. Wilde, Joachim. 1737.
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.
81. Zaidler, Johannes. 1727.
82. Zinck, Johannes. 1732.



PROGRAMMA

RECTORIS ACADEMIÆ ROSTOCHIANÆ,

FRANC. ALB. ÆPINI,

Phil. & Theol. D. hujusq; Prof. Ducal. Publ.
FCTis Theol. p. t. Decani,

QVO

MATRONÆ PRÆ-NOBILISS. MAXIMARUMQVE
VIRTUTUM MULIEBRIUM SPLENDORE
PRÆFULGIDÆ,

ANNÆ MARGARETHÆ
WILLEBRANDIÆ,

VIDUÆ

Præ-Nobiliss. quondam, Consultiss. atq; Excellentiss.

DOMINI

JOH. BARNSTORFFII,

Jur. Utr. Doct. & Instit. Prof. Publ. Famigeratissimi,

beatum obitum

indicir,

Ejusdemque memoriam piè custodiendam


CIVIBUS ACADEMICIS O.O. HONORATISSIMIS

qua par est humanitate

commendat.

ROSTOCHII,

Typis Io. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC.
& ACAD. Typograph.



Viduarum variam diversamque conditionem esse, ut tristitiæ pariter ac gaudii causæ non parum habeant, adeò neminem fugere, arbitrator, ut inter omnes potius tam notum judicandum sit, quam quod notissimum. Nolo nunc ad experientiam provocare, cui sacratissimus sacrarum Scripturarum Codex, utrumque non obscuris verbis edicens, ad assertum istud probandum sufficit. Varias namque tristitiæ causas Viduis esse, si aliunde non agnosceretur, vel solus edoceret Jeremias, divinâ concitus aurâ Propheta, lamentationes suas atque querelas super mutato Hierosolymorum statu, è læto felicissimoque in afflictum ac desolatum sic inchoans: *Quomodo habitavit solitaria urbs magna populo? Facta est sicut Vidua. Thren. I. 1.* Videtur Vates, horrendam urbis olim splendidissimæ devastationem sub miserrimo, qui contingere in hoc mundo potest, mortalium statu depicturus, non invenire potuisse Viduis quidquam miserius, quocum eandem exactè compararet, ad animis hominum ipsam altius infingendam. Hinc & Cap. V. 3. ubi, preces nomine populi in captivitatem Babylonicam abducti fundens, sic eos inducit plorantes: *Pupilli facti sumus, quibus non est pater; matres nostræ sunt sicut Viduæ.* Plus satis ducit, miserias, quibus haud facile majores dari poterant, factâ viduitatis mentione, expressisse. Quin DEUS ipse severissimas inobedienti populo poenas comminaturus inter alias & hanc indicit de uxoribus eorum viduandis: *Excandescet, Ex. XXII. 23. inquit, ira mea, & occisurus sum vos gladio; ut fiant uxores vestræ Viduæ, & filii vestri orphani.* Et Jeremias Propheta Cap. XIII. 21. suis equidem, at in causâ DEI, hostibus atque litigatoribus imprecatur: *Ut fiant uxores eorum orbæ & Viduæ.* Quale quid & de improbis David vaticinatur Psalm. CIX. 10. E contrario verò Babylon illa mystica, Apocal. XIX. 7. glorificans seipsam, *in corde suo dicere legitur, sedeo Regina, & Vidua non sum, & planctum non viderim.* Satis scilicet reputans, se Viduam non esse, i. e. duris miseriis non subjectam, unde nulla sibi tristandi, nulla plangendi sit causa. Quodsi ergo truculentæ florentissimarum regio-

regionum devastationes, urbiumve splendidissimarum desolationes cum Viduarum statu fatisque contenduntur; si viduitas poenis annumeranda; si status ei contrarius à planctu remotior; quis dubitaverit, Viduas tristandi non parum causæ habere? Attamen numne plus ipsis lætandi ex adverso causæ sit? non immeritò dubitandum erit. Sic enim plane sentio: habere Viduas quæ de se dicant cum Paulo: *Quasi tristitia affectæ, semper vero gaudentes; quasi nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. VI. 10. Quot etenim quantaque Viduis divinitus concessa privilegia sint, unicuique S. Scripturam perlegenti nullatenus ignotum esse potest. Sic DEUS ipse *Deut. X. v. 17. 18.* semet ipsum descripsit, quod sit *DEUS Deorum, & Dominus Dominorum; DEUS magnus, potens & formidabilis, qui non acceptabit facies, & non accipiet munus. Faciens iudicium orphanis & Viduæ.* Quamobrem & *Psalm. LXIIX. 6.* dicitur *Pater pupillorum, & Iudex Viduarum.* Sic de alimentis in Lege Mosaica illis prospectum ac indigentia earum consultum voluit, *Deut. XIV. 28. 29. XVI. 9. 10. II. XXIV. 17. 19. 20. 21.* Quæ licet quoad circumstantias temporaria duntaxat ac ad Politia Judaicæ durationem adstrictæ Leges fuerint, quoad substantiam tamen, ut ne Viduis damnum aliquod detur, quin potius iisdem opem feramus, nos utique obligare, per ipsam rei naturam, censendæ sunt. Gravissimè, sub severissimarum pœnarum comminatione, Viduarum læsiones interdictas legimus *Exod. XXII. 21. 22. 23.* *Ullam Viduam aut orphanum non affligetis.* Et *Zach. VII. 10.* *Viduam pupillumque, peregrinum & afflictum ne opprimatis.* Hinc Principes populi Judaici *Es. I. 23.* quod Viduarum causas negligi, easque ab injustis opprimi passi fuerint, redarguuntur: *Principes tui pupillum non iudicant, & lis Viduæ non venit ad eos.* Iacobus autem Apostolus *Ep. Cap. I. 27.* ad puram & immaculatam apud DEUM & Patrem religionem refert etiam, *visitare orphanos & Viduas in afflictione eorum,* ut nimirum consolationis quidquam ac opis iisdem à nobis afferatur. Paulus autem *1. Tim. V. 3.* Timotheum suum hortatur: *Viduas honora, quæ verè viduæ.* Intelligentes proinde Viduæ, quantopere DEO curæ sint, non poterunt non fateri, se, sub variarum licet molestiarum, afflictionum tristitiaque mole, non parum in DEO gaudendi causæ habere. Sint igitur in mundo contemtæ; in cælo tamen in honore sunt. Affligantur ab improbis; DEUS eas protegit. Opprimantur ab injustis, causam earum agit, qui iustissimus ipse, injurias iis illatas quam severissimè vindicaturus. Quantaunque verò sint à DEO Viduis attributa privilegia bonaque; negari tamen non potest, non aliter eadem ipsis promissa esse, quam iisdem si dignè se gerant. Quare, cum Paulus *l. c.* Viduas honoratas vult, restringit honorem ad eas, quæ verè Viduæ sunt, quarum virtutes *v. 5. 7. & 10.* postea describit: quæ ex adverso voluptatibus mundoque deditæ sunt, viventes mortuas pronuncians, *v. 6.*

Exemplum veræ talis Viduæ, cum molestiis quidem viduitatis ad vicesimum usque annum conflictatæ, quæ tamen de DEO sibi propitio ejusque patrocínio gloriari potuit, se, quoad usque mortalem hanc vitam duxit, mundo præbuit, cujus exuvia hæreditario apud nos reconditorio hodiè, Gustrovia huc translata, concredentur, Matriona Præ-Nobilissima virtutibusque sexus sequioris per omnes ætatis gradus, ab infantia inde usque ad decrepitam senectutem, fulgidissima, AN-

NA MARGARETHA WILLEBRANDIA, Vidua Viri Præ-Nobilissimi quondam, Consultissimi & Excellentissimi, DN. JOHANNIS BARNSTORFII, J. U. D. & Instit. Prof. Publ. Celeberrimi, Professorum adeo almæ hujus Universitatis & marita, & soror, & filia, & neptis, & proneptis, prout ejusdem genealogia & vitæ curriculum docebunt. Meretur itaque, si quæ alia, ut, sicuti vivens honorabilem se præstitit, ita defunctæ hoc extremi honoris habeamus, cujus memoriam brevi vitæ transactæ descriptione posteritati commendemus.

Ad ortum igitur & genealogiam ipsius quod attinet, edita in lucem est hac ipsâ in urbe, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, die 2. Decembris mensis, Patrem nacta Virum Præ-Nobiliss. Consultiss. Excellentissimumque, DN. ALBERTUM WILLEBRANDUM, J. U. D. & Cod. Prof. Ducal. Celeberrimum, Consistorii Mecklenburg. Consiliarium Gravissimum, Anno MDCLXXXI. Academiæ & mundo ereptum. Matrem vero, Pro-Nobiliss. magnoque virtutum muliebrium splendore fulgentem Matronam, ELISABETHAM COTHMANNIAM. Avus prioris lineæ ipsi fuit Præ-Nobiliss. Ampliss. atque Excellentiss. DN. NICOLAUS WILLEBRANDUS, Phil. & J. U. D. Moralium Prof. Publ. Famigeratiss. cujus in lucem edita Scripta Exteris etiam non in nullo tunc temporis pretio fuisse, compertum nobis est. Avia ejusdem lineæ fuit Fœmina Præ-Nobiliss. virtutibusque eximiis quam maximè condecorata, CATHARINA HEINS. Posterioris autem lineæ Avus Nostræ existit Illustris, Consultiss. & Excellentiss. Vir, DN. JOANNES COTHMANNUS, J. U. D. Sac. Later. Palat. Aulæque Cæsar. Comes, Serenissimi Ducis Mecklenburg. ultra XXXV. annos Consiliarius ac Cancellarius Magnificus Gravissimusque. Et Avia, optimo ætatis in flore defuncta, Præ-Nobiliss. virtutibusque sui sexus exornatissima, MAGDALENA Krügers / filia viri Prudentiss. DN. ULDARICI Krügers / Consulis Gustrov. meritiss. Ad Proavos ascensuri, per Patrem quidem, superiori in lineâ deprehendimus Virum admodum Rever. atque Clariss. Dn. PETRUM WILLEBRANDUM, Pastorem Gorloviensem, in viciniâ Grabovii, Ducatus Mecklenburgici, meritissimum, inter primos Ecclesiarum Patriæ nostræ Ministros, qui Formulæ Concordiæ, tanquam Libro Ecclesiæ Lutheranæ Symbolico, subscripsere. Cui Conjux, Nostræ verò Proavia contigerat DEO devota Nobilissimaque; SOPHIA SCHULTZEN, matertera Theologi Saxonici acutissimi solidissimeque, ALBERTI GRAWERI, cujus fama perennat. In linea inferiori succurrit Proavus Vir Præ-Nobiliss. Consultiss. atque Excellentiss. DN. FRIDERICUS HEINS, Jur. Utr. D. & Prof. Publ. Celeberr. Serenissimi Ducis Mecklenb. Consiliarius, & postremum Civitatis Rostochiensis Consul atque simul Syndicus, dexterrimè omnibus officiis functus, qui filius fuit JACOBI HEINS, Consulis Neo-Brandenburgensis, ex ELISABETHA Barnesire. Proavia, vero fœmina pietate summisque virtutibus conspicua, ANNA DOBBINS, quam filiam fuisse accepimus ALBERTI DOBBINI, Prudentissimi Senatoris Rostoch. & quidem ex MARGARETHA Medtaen / procreatam. Per Matrem verò Proavus Beatæ contigerat Præ-Nobiliss. ac Prudentiss. DN. THEODORICUS COTHMANNUS, Republicæ Lemgoviensis Consul, cujus Majores per tria Secula Consulari & Patricia dignitate claruerunt. Proavia denique summarum virtutum laude inclytata AGNETA, von der Stypen / Comitiss. à LIPPA Cancellariæ Nata. Hæc

Hæc igitur ex splendidissima Familiâ beatè Defunctæ origo fuit, unde, ceu supra dictum, Professoris etiam extitit Soror, nimirum. DN. ALBERTI WILLEBRANDI, U. J. D. & Prof. Ducal. Publ. O. quem benè de se meritum Academia Anno 1700. amisit.

Non est nostrâ in potestate, quibus à Parentibus natos nos esse velimus; est tamen singulare DEI beneficium ducendum, à talibus procreatum progenitoribus esse, quos etiam post fata honestatis, virtutis meritorumque laus manet. De quibus cum sibi gratulari Defunctæ licuerit, dubium non est, quin, excitatis subinde cum sanguine propagatis in eam scintillis, & igneum in ipsâ virtutum amorem accenderint, & ab infantia teneritudine eandem duxerint ad vitam secundum virtutem. Quandoquidem autem, ob hæreditarium in omnibus malum, quantumcunque curarum atque sollicitudinis in tenerorum animorum educationem impendatur, id omne frustraneum foret, nisi Spiritus S. gratia suam illi benedictionem adderet, maturè Parentum pietas curavit, ut hæc sua recens nata per lavacrum aquæ in verbo regeneraretur, ut à DEO adoptata de ipsius gratiâ eo certior atque securior esse posset. Quam benè autem, quamque feliciter in educatione illius cuncta cesserint, effectus, quo certior testis non est, abundantissimè docuit. Qui namque præfulgentes ejus virtutes non admiratus esset, haud temere quisquam repertus fuit. Quid? erant hæ ipsæ, quæ animum allexere Viri Præ-Nobiliss. Consultiss. & Excellentiss. DN. JOHANNIS BARNSTORFFII, J. U. D. & tum quidem Causarum in Judiciis Ducal. Patroni, postea verò, inde ab Anno 1697. Instit. Prof. Publ. Anno 1705. ad superos translatis, ut contrahendum cum eâ matrimonium ambiret. Huic igitur Anno 1675. felici auspicio desponsata, & insequentis Anni primo Mense d. 18. mediante sacerdotali benedictione copulata fuit. Quod quidem conjugium, habitâ conjunctionis animorum ratione, constantissimum fuit; spectatâ verò progeniè, desuper e quidem benedictum, ast vicissitudinem non unam expertum, plerisque Natis jam ante piam Genitricem defunctis. Fuerunt autem ex eâ procreati liberi septem, superioris quidem sexus bini, inferioris verò quinque.

I. ANNA ELISABETHA, infans undecim vix mensium, magno cum Parentum luctu, prout erga primogenitos tenerrimus solet Genitorum amor esse, rursus denata.

II. ANNA MARGARETHA, Anno 1698. Præcellentiss. Amplissimoque Viro, DN. M. JOANNI KINDLERO, Scholæ WisMariensis Rectori præclarissimè merito, Anno superiori ineunte, non sine rei literariæ jacturâ, supremum obeunti diem, nuptum data. Quo ex conjugio Nostra piè Defuncta Matrona amplexa fuit quinque nepotes, qui, per DEI gratiam optima quæque de se orbi promittentes, sunt: JOHANNES ALBERTUS, J. U. Stud. Lubecæ nunc degens; JOHANNES GABRIEL, Phil. & Theol. S. Studiosus, Academia nostræ Civis, laudabili animi contentione ad summa grassans, ac inter ejus ornamenta numerandus; JOHANNES FRIDERICUS, negotiationibus addictus; JOHANNES ERNESTUS, & JOHANNES JOACHIMUS, alumni laudatæ Scholæ, non minus eximiam de se spem præbentes.

III. AGNETA SOPHIA, Holmiæ Svecorum vivens, conjux præstantissimi Musici, & Potentissimi Regis Sveciæ Phonsorum præcipui,

B

pui,

pui, DN. BALTHASARIS *Settern* / quæ itidem quintuplici partu No-
stram Aviam fecit. Sunt enim ex hac filia prognata neptes: JOHANNA
SOPHIA, MARGARETHA ELISABETHA, DOROTHEA CHRISTI-
NA, ANNA REGINA; nepos autem: JOHANNES BALTHASAR.

IV. ALBERTUS, qui J. V. Cultor, optimo ætatis in flore, cum
quilibet non nisi egregia quæque de eo non exspectarent modò, sed & præ-
cipere, immatura morte, ingenti cum Parentum dolore, vivis ereptus.

V. MAGDALENA ELISABETHA, quam item ad adultam
ætatem progredi non permisit neque recentius mundum ingressis par-
cens mors.

VI. CATHARINA ELISABETHA, pulcherrimarum animi
corporisque dotium Virago, & ipsa, cum floridæ ætatis esset, extincta,
Anno 1719. Lubecæ, ubi in ædibus Materteræ suæ, Præ-Nobiliss. Matrônæ,
AGNETÆ SOPHIÆ WILLEBRANDIÆ, Viri Generosiss. quondam,
DN. JOANNIS GEORGII de GUSMANN, Serenissimorum Ducum
Mecklenburg. DN. CHRISTIANI LUDOVICI, & DN. FRIDERICI
WILHELMI, glor. record. Consilarii Intimi, & postremo dictæ mox Li-
beræ Imperial. Reipublicæ Lubecensis Syndici, Viduæ, hodiernum, octoge-
nario vicinæ, quæ DEI gratia, vitali adhuc spiritu fruētis, tunc temporis
commorabatur.

VII. JOHANNES GEORGIUS, Med. D. & Practicus apud
Gustrovienses, pariter & Sereniss. Principis Viduæ, DN. SOPHIÆ
CHARLOTTÆ, Ducis Mecklenburg. Hassiæ Landgraviæ &c. Archiater
& Medicus Aulicus Famigeratissimus. Is matrimonio feliciter sibi junxit
Præ-Nobiliss. magnarumque virtutum coronâ condecoratissimam,
MARIAM DOROTHEAM KRAFFTAM, ex quâ ipse quoque
Matri suæ quinquies dulcissimum conciliavit Avia nomen, procreatis:
MARGARETHA DOROTHEA, ANNA SOPHIA MARIA, JOHAN-
NE HENRICO, MARIA ELISABETHA, & CHRISTINA SOPHIA.
Quorum ex numero secundò genita neptis & nepotulus Aviam in æterni-
tatem præcesserunt. In tribus autem superstitibus ad DEUM & virtutis
amorem ducendis, ad extremum usque maximam voluptatem quæsit,
maximam invenit delectationem. Etenim, defuncto suo Marito, per
aliquot annorum quidem spatium in hac patria urbe domicilium suum
retinuerat, posteaquam verò prælaudatus Filius propriam sibi suam fa-
miliam Gustrovii constituerat, eodem sese conferre e re suâ futurum ju-
dicavit, jucundissimâ illius filiali conversatione continuè gaudendo, vi-
duitatis molestias aliquantum sic lenitura. Et apud eum commorata
postea est, ingravescente senectâ, continuis propemodum sacris medita-
tionibus precibusque vacans, ad beatam animæ à corpore analysin usque,
quæ, postquam in annum septuagesimum quintum ætatem protraxerat, ei
contigit die 27. mensis superioris.

Quæ verò, præter vitæ mortisque Domini nutum, causæ fuerint
analysin eam procurantes, melius exponet nemo Filio expertissimo, qui,
sicuti vitam per eandem acceperat, ita vicissim, quantum est in Medico,
quantumque causæ naturales valent, illius vitam prolongare, quo fuit in
Matrem filiali affectu, viribus omnibus annis fuit. Habeatis igitur,
CIVES HONORATISSIMI! quam is ipse nobis transmisit, Filii de Geni-
trici ultimo morbo pariter ac obitu relationem sequentem:

E vita

bs *ms* *E* vita mihi excessit Mater, dum viveret, multum veneranda, post mor-
 tem desideratissima, excessit egrotata, cui à consiliis Medicis fui, & cujus vitam, si
 DEO placuisset, ultra Mosaicos terminos extendere allaborassem. Duplex hinc
 hodie mearum partium ratio est, lugere obitum Matris incomparabilis ejusdem-
 que funeralia curare solemnia, nec non historiam morbi, quo occubuit, expone-
 re. Quod primam attinet, voluntati maternæ etiam post funera mihi sanctæ pro-
 pietate & religione filiali satisfacere studui, alteram quod concernit, Medico-
 rum more, ut Programmatis fines, tanquam leges volunt, sequentibus rem expe-
 diam. Morbus ultimus, quo Veneranda mihi Defuncta per octo Septimanarum
 decursum decubuit, & tandem placida exspiravit, ut brevibus multa absolvam,
 fuit Febris Marasmodes, variis symptomatibus morbum aggravantibus stipata.
 Causas, quæ morbo huic vias straverint, præter senium & hinc naturali quasi
 lege dependens tam solidarum quam fluidarum corporis partium resolutum robur
 & motum vacillantem, in commissis Diætæ erroribus invenire minus licuit, nisi
 curis & sollicitudinibus animi aliquid dare necesse habuerim, utpote quæ Lenta-
 rum & Hæcticarum fœcundæ matres esse consueverunt. Hyems præterit, & in
 ista maxime piæ Matris meæ vires deficientes & solitam in obeundis negotiis ala-
 critatem cessantem observavi, ubi simul serpens quidam febrilis calor, appetitus
 multum imminutus & noctes insomnes accesserunt. Adhibita tunc temporis sunt
 remedia, convenientia quidem & pro majori malo avertendo destinata, sed effe-
 ctus omni ex parte optatus pro voto edere noluerunt. Evenit hinc, ut Febris an-
 te dicta Marasmodes Matrem dilectissimam sub Aprilis exortum pleno impetu ag-
 gressa, eam lectum petere jusserit, quem absque ducta ultima rerum linea dese-
 rere nequivit. Accessit enim cum Febre hac continua quidem, sed in exacerba-
 tionibus suis temporis ratione errante, symptomatum syndrome, utpote Angustia
 Præcordiorum, Leipothymie crebræ & insignes inflationes & dolores vagi ac-
 zerebrantes intestinorum, tremores artuum, appetitus plane prostratus, vigilie
 protractæ, & quæ alia fuerunt, quæ non minus sanguinis & succorum acridi-
 nem & fervorem, quam eorum etiam stagnationem & vappescientiam indicarunt.
 Et quanquam sub medium decubitus tempus quædam evadendi affulserit spes, ex
 improvviso tamen ægotantem corripuit Insultus Apoplecticus, qui sinistri brachii
 & totius istius lateris levem Paralyin & tumorem singularem reliquit. De-
 hinc omnia in deterius versa, morbi vehementia etiam exquisitissima propinata
 & applicata remedia spernere cœpit. Factum proinde, ut fractis hucusque vi-
 ribus plane nunc consumptis ingravescente simul anxia spirandi difficultate &
 impotentia materiam pituitosam & viscidè glutinosam e pulmonibus per ruffim &
 screatum ejiciendi, flammula vitæ tremula penitus extinguere coeperit, & emacia-
 ta propemodum mea Genitrix dulcissima die vigesimo septimo Maji sub horis po-
 meridianis vitam placidissime cum morte commutaverit, & animam suam Crea-
 tori suo Trium reddiderit, cui ut placeret, primum ultimumque ipsi, dum vive-
 ret, negotium fuit.

Talis itaque, sicuti percepimus, profapia splendidissima, talis
 pia vita, talis tandem & obitus beatus Beatæ nunc BARNSTORFFIÆ
 fuit. Quis dubitaret, luctuosum admodum Matronæ hujus è vitâ ex-
 cessum esse, & superstitibus liberis, nepotibus, universæque fulgi-
 diffimæ Familiæ multum acutissimi doloris afferentem? At verò, quan-
 quam non omnis super demortuis luctus improbandus; quin potius
 ille & naturæ & Scripturæ conveniens sit, adeò quidem, ut pænis di-
 vinis annumerandum, si nemo vita defunctos plangat, ceu ex *Ferem.*

XVI. 6. colligere licet; est tamen huic dolori finis ponendus, siquidem, ad quam in verâ fide mortui pertigere, eâ, quam amifere, vita longè præstantior est. Benè Ecclesiasticus, Siracides vulgo dictus, *Cap. XXXIIIX. 16-24.* ex versione Schmidiana: *Super mortuo elice lachrymas, & tanquam dura passus incipe threnum. - - Amarum fac planctum, & calidum fac luctum, & fac fletum juxta dignitatem ejus diem unum & duos calumniæ ergo, & consolationem accipe doloris causa. - - Ne des in luctum cor tuum, desiste ab eo memor extremorum. Ne obliviscere, non enim est reditus: & illi non proderis, tibi ipsi verò noceris. Memento judicii ejus, quod sic sicut etiam tuum: mihi heri, & tibi hodie. In requie mortui requiem da memoriali ejus, & consolationem accipe super eo in exitu spiritus ejus.* Etenim, fidelium Christianorum mortem piè considerans, juxta Scripturam eandem dijudicando, deprehendet, ipsam Relictis, eandem Suis gratulandi, quam dolendi, causam potiore præbere. Mors enim piorum quid est? nisi exoptata dissolutio, *Luc. II. 29. Phil. I. 23.* ingressus à laboribus in requiem, *Es. LVII. 2. Ebr. IV. 10. Apoc. XIV. 13.* transitus ad vitam, *Job. V. 24.* & quibus aliis elogiis eam Scripturæ commendant. Imò verò, si vel naturaliter tantum mortalium mortem, facta illius cum vitæ hujus miseris comparatione, æstimare velimus, non poterimus non fateri, mortuis præ vivis melius esse, in quantum quies labore continuo jucundior est. Agnoverunt id ipsum ipsi Gentiles, quos inter altiora sapientes & de immortalitate animæ persuasi, ad ipsam æternam vitam respexerunt, mortis hinc, multis encomiis ornata, præstantiam de prædicantes. Sic enim Seneca *Consol. ad Marc. Cap. 19.* mortem dicit omnium dolorum & solutionem esse & finem. Et *Cap. 20.* scribere non dubitavit: *Contra injurias vitæ beneficium mortis habeo.* Si quæsieris: quid ergo causæ habuerint, cur tam splendide de morte sentirent? indicet eam Cicero, *Lib. I. Tuscul. Quæstion.* dicens, *mortem ducem esse in cælum claris viris & fæminis.* Ecce! rem quidem ipsam tetigere, veram quantumvis, unde mors tam benefica fit, causam penitus ignorantes. Quantò igitur magis Christianis nobis, queis nihil horum ignotum Scriptura reliquit, mors piorum placere potest, ut, eadem Nostris contingente, in voluntate Domini placidè acquiescamus. Neque dubitamus, superstitem Beatæ Nostræ Familiæ mœstissimam hæc omnia sedulò meditando efficacissimum inde percepturam solatium esse. Interim & nobis, CIVES! tanquam Christianis, incumbit, ut & Beatæ felicitatem ejus, ad quem per septuaginta quinque annos contendit, status congratulemur, & Relictis in hac dolorosissimâ afflictione divinum desuper solatium apprecemur, de cetero, à nobis abeuntium memoriam piè custodientes, & nos ipsos aliquando, supremo vitæ Domino cum visum fuerit, hinc abi tuos esse, cogitemus.

Valete!


P. P. sub Sigillo Rectorali,

d. 9. Junii, Anno MDCCXXIV.


✠ (o) ✠



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



LBMV Schwerin 33
000 184 241





ex splendidissima Familiâ beatè Defunctæ origo fuit, unde, etiam, Professoris etiam extitit Soror, nimirum. DN. ALBER-EBRANDI, U. J. D. & Prof. Ducal. Publ. O. quem bene de se Academia Anno 1700. amisit.

non est nostrâ in potestate, quibus à Parentibus natos nos esse est tamen singulare DEI beneficium ducendum, à talibus progenitoribus esse, quos etiam post fata honestatis, virtutis que laus manet. De quibus cum sibi gratulari Defunctæ lium non est, quin, excitatis subinde cum sanguine propagascintillis, & igneum in ipsâ virtutum amorem accenderint, & teneritudine eandem duxerint ad vitam secundum virtundoquidem autem, ob hæreditarium in omnibus malum, inque curarum atque sollicitudinis in tenerorum animorum impendatur, id omne frustraneum foret, nisi Spiritus S. illi benedictionem adderet, maturè Parentum pietas curasua recens nata per lavacrum aquæ in verbo regeneraretur, adoptata de ipsius gratiâ eo certior atque securior esse possit bene autem, quamque feliciter in educatione illius cuncta effectus, quo certior testis non est, abundantissimè docuit.

antes ejus virtutes non admiratus esset, haud tenus fuit. Quid? erant hæ ipsæ, quæ animum altiss. Consultiss. & Excellentiss. DN. JOHANNIS U. D. & tum quidem Causarum in Judiciis Ducal. inde ab Anno 1697. Instit. Prof. Publ. Anno 1705. et contrahendum cum eâ matrimonium ambiret. felici auspicio desponsata, & insequentis Anni iante sacerdotali benedictione copulata fuit. Quod bitâ conjunctionis animorum ratione, constantisverò progeniè, desuper equidem benedictum, ast nam expertum, plerisque Natis jam ante piam Fuerunt autem ex eâ procreati liberi septem, is bini, inferioris verò quinque.

LISABETHA, infans undecim vix mensium, matu, prout erga primogenitos tenerrimus solet Gerfus denata.

MARGARETHA, Anno 1698. Præcellentiss. AmN. M. JOANNI KINDLERO, Scholæ Wisma, issimè merito, Anno superiori ineunte, non sine apremum obeunti diem, nuptum data. Quo ex defuncta Matrona amplexa fuit quinque nepotes, optima quæque de se orbi promittentes, sunt: JOHANNES, J.U.Stud. Lubecæ nunc degens; JOHANNES, neol. S. Studiosus, Academia nostræ Civis, laudat ad summa grassans, ac inter ejus ornamenta numefRIDERICUS, negotiationibus addictus; JOHANNES, & JOHANNES JOACHIMUS, alumni laudis eximiam de se spem præbentes.

SOPHIA, Holmiæ Svecorum vivens, conjux & Potentissimi Regis Syeciæ Phonscorum præcipui,

B

pui,

